

Die Urkunden Karls des Großen, 193

Karolus gratia dei rex Francorum et Longobardorum ac patritius Romanorum omnibus fidelibus nostris tam presentibus quam et futuris. Si petitionibus sacerdotum hoc, quod a nostris auribus innotuerunt, ad effectum pro dei amore mittere studuerimus, procul dubio aeternae vitae remunerationem habituram non dubitamus. Ideoque dum pluris habetur percognitum, qualiter aecclesia Parisiaca, quae est in honore sanctae Mariae matris domini nostri Iesu Christi et sancti Stephani protomartyris et sancti Dionysii et sancti Germani et sancti Marcelli vel sancti Chlodoaldi confessoris et ceterorum dominorum [constructa], quorum pignora in ipsa plebe vel in ipsa aecclesia Parisiaca adunatae raequiescunt, ubi preest Erkenradus in ipsa plebe episcopus, petuit, qualiter ad anteriores reges vel a nobis integra emmunitate de omnibus villas Parisiaci agros vel terraturiis habere videntur concessas. Sed hoc nos pro mercedis nostri compendio [vel pro] reverentia ipsius sanctae pignorae, quae sunt in ipsa plebe Parisius recondite, tam villabus agris territoriis cum omnibus ibidem pertinentibus, quarum nomina sunt haec: Onresiacum cum omni integritate, Hileriacum cum omnibus ad se pertinentibus, Aureliacum, Ciuiiacum, Castanendum cum cunctis, que illis adiacent, Baniolum, Laiacum et Steouilla cum universis, que pertinent ad eas; insuper et fundus, quos fidelium liberalitas stipendiis eorumdem fratribus delegavit, videlicet Sulciacum, quem Stephanus pie recordationis comes nec non et uxor eius Amaltrudis eorum usibus delegaverunt et adhuc tam ultra Ligera quam et citra Ligera vel ubi et ubique in regno nostro deo propitio aecclesia Parisiaca possessio esse videtur, tam pro immunitatis anterioris quondam regibus quam et per reliqua instrumenta species cartarum ipsius aecclesiae Parisiaci vel undique ibidem delegatum habentur aut adhuc in dei nomine a deo timentes hominibus additum vel conlatum fuerit, per nostram preceptionem plenius confirmamus et integra immunitate a novo perpetualiter concedimus, ut, quicquid fiscus noster de qualibet modo de omnes liberos homines, qui super terram ipsius aecclesiae Parisiacaem commanere noscuntur, [habere potuerat] tam de caput quam et de omnes redibutiones quaslibet, absque ullius iudicis introitu aut repetitione ipsa aecclesia Parisiaca habeat perenne concessum. Precipientes enim iubemus, ut neque vos neque iuniores neque successores vestri nec ullus quislibet ex iudicaria potestate accinctus vel per quocumque modo nullisque ingeniis in curtis vel in territoriis, in insulis positis vel in aliis locis, quod presenti tempore habere vel possidere videntur aut quod inantea a deo timentes hominibus ibidem additum vel conlatum fuerit, nec ad causas audiendum nec freda exigenda nec distinctiones faciendas nec ulla paratas requirendas nec ullum teloneum de omnia causas exactando [penitus ingredere] nec rotaticum nec foraticum nec pulveraticum prendere nec exigere nec facere ullatenus presumatis et pretermissas vestras repetitiones, quasi aut a vestris temporibus aut successorum regum quasi ibidem fuissent consuetudo ingrediendi supra terram sanctae Mariae, ab hodierna die calcatas fiant. Igitur cognoscat omnium secutura posteritas presulumque nobis succendentium pia paternitas, quia petierunt a nostra exiguitate fratres nostri sanctae matris aecclesiae, cui miserante deo deservimus, quorum nos petitioni assensum prebentes in aecclesia, que est in honore sancti Stephani pretomartyris coram ipso sacrosanto altari in presentia venerabilium episcoporum concedimus, Ebboni videlicet archiepiscopi, Aldrici episcopi, Rainoardi episcopi, Rantgarii episcopi, Lantdramni episcopi, Ionae episcopi, Iessae episcopi, Rothadi episcopi, Adelelmi episcopi, Hildemannii episcopi, Godefredi episcopi, Freculfi episcopi, Uuiladi episcopi, Theodiscli episcopi, Amathei [episcopi], Alitgarii episcopi, Franconis episcopi, Bernoyni episcopi, Ariboldi episcopi, [Elie] episcopi, item Ionae episcopi,

Hugberti episcopi, Fulcarii episcopi, Eremberti episcopi. Si quis vero, quod absit, contra
hoc nostrae auctoritatis edictum vel concessum insurgere temptaverit, im dei omnipotentis
incurrat maledictionem et artatus atque constrictus igneis catherinis profundi inferni
percussione sanctae dei genitricis Mariae et omnium sanctorum horumque episcoporum sit
anathematizatus atque divina ultione perfossus animum exspiret vindicationis lepre
laniatus.

Signum Karoli (M.) gloriosissimi regis.